ad comedendum. precoquas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra. et rectus in hominibus non est. Omnes in sanguine insidiantur. vir fratrem suum venatur ad mortem. Malum manuum suarum dicunt bonum. princeps postulat. et iudex in reddendo est. et magnus locutus est desiderium anime sue. et conturbaverunt eam. Qui optimus in eis est. quasi paliurus. et qui rectus. quasi spina de sepe. Dies speculationis tue. visitatio tua venit. nunc erit vastitas eorum. Nolite credere amico. et nolite confidere in duce. Ab ea que dormit in sinu tuo. custodi claustra oris tui. quia filius contumeliam facit patri. filia consurgit adversus matrem suam. nurus adversus socrum suam. inimici hominis domestici eius. Ego autem ad dominum aspiciam. et expectabo deum salvatorem meum. Audiet me deus meus. Ne leteris inimica mea super me. quia cecidi. consurgam. Cum sedero in tenebris. dominus lux mea est. Iram domini portabo. quoniam peccavi ei. donec iudicet causam meam. et faciat iudicium meum. Educet me in lucem. videbo iustitiam eius. Et aspiciet inimica mea. et operietur confusione. que dicit ad me. Ubi est dominus deus tuus. Oculi mei videbunt in eam. nunc erit in conculcationem. ut lutum platearum. Dies ut edificentur macerie tue. In die illa longe fiet lex. In die illa et usque ad te veniet de Assur. et usque ad civitates munitas. et a civitatibus munitis usque ad flumen. et ad mare de mari. et ad montem de monte. Et erit terra in desolationem propter habitatores suos. et propter fructum cogitationum eorum. Pasce populum tuum in virga tua. gregem hereditatis tue. habitantes solos in saltu. in medio Carmeli. Pascentur Basan et Galaad iuxta dies antiquos. Secundum dies egressionis tue de terra Egypti ostendam ei mirabilia. Videbunt gentes et confundentur super omni fortitudine sua. ponent manum super os. aures eorum surde erunt. Lingent pulverem sicut serpentes. velut reptilia terre perturbabuntur in edibus suis. Dominum deum nostrum formidabunt. et timebunt te. Quis deus similis tui. qui aufers iniquitatem. et transis peccatum reliquiarum hereditatis tue. Non inmittet ultra furorem suum. quoniam volens misericordiam est. Revertetur et miserebitur nostri. Deponet iniquitates nostras. et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Iacob. misericordiam Abraham. que iurasti patribus nostris a diebus antiquis.

Naum prophetam ante adventum regis Assyriorum. qui populum Israel captivum in Assyria regione transtulit. fuisse Hebrei tradunt. Ostenditur in [illegible] siquidem in nomine huius lectionis. post Ezechiam regem advenientium. id est prophetia comminatione monstratur. Et cum habitatores [illegible] Iona ministrante conversi essent ad penitentiam. ne divina ira veniret. quam minatam sustinuerant peccatores. et pietatis prima expertem acceperunt dei misericordiam. gentiles se criminibus iterare ceperunt. Quia de eius memoria propheta spiritu dei plenus. iudicium dei annuntians [illegible] est. ut locum. Deus emulator et ulciscens dominus. Iam enim decem tribus ab Assyriis ducte fuerant in captivitatem sub Ezechia rege Iuda. sub quo etiam nunc in consolatione populi transmigrati adversum Niniven cernitur. Nec erat parva consolatio tam his qui iam Assyriis serviebant. quam reliquis qui sub Ezechia de tribu Iuda et Beniamin ab hisdem hostibus obsidebantur. ut audirent Assyrios quoque a Chaldeis esse capiendos. sicut in consequentibus libri huius demonstrabitur. Sciendum autem quod Ninive in nostra lingua de hebreo speciosa sonat. Speciosus autem mundus hic dicitur. unde et apud grecos kosmos ab ornatu nomen accepit. et quicquid nunc adversus Niniven dicitur de mundo figuraliter predicitur. Naum autem consolator. et Assyrio. [illegible] sicut Aquila [illegible] apud hebreos in massa ponitur. id est grave pondus. [illegible] adversus quam prophetat [illegible] non [illegible] attendendum [illegible] assumptio. [illegible] pondus prophetie visio sit. Non enim loquitur in extasi. ut Montanus et Prisca et Maximilla delirant. sed quasi propheta liber est visionis intelligentis universa que loquitur. et pondus hostium finale [illegible] suo propheta visione de consummatione mundi sed anagogen. in consolationem [illegible] accipitur. ut quicumque in mundo videntur esse feminea. et caduca contempnantur. et preparent se ad iudicium dei. ubi ultores adversum [illegible] futuri sunt domini. Naum consolator dicitur. [illegible] per civitates singulorum. et [illegible] loquitur. Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem.

Onus Ninive. Liber visionis Naum Helcesei. Deus emulator et ulciscens dominus. ulciscens dominus et habens furorem. Ulciscens dominus in hostes suos. et irascens ipse inimicis suis. Dominus patiens et magnus fortitudine. et mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate et turbine vie eius. et nebule pulvis pedum eius. Increpans mare. et exsiccans illud. et omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan et Carmelus. et flos Libani elanguit. Montes commoti sunt ab eo. et colles desolati sunt. Et contremuit terra a facie eius. et orbis et omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis eius quis stabit. et quis resistet in ira furoris eius. Indignatio eius effusa est ut ignis. et petre dissolute sunt ab eo. Bonus dominus. et confortans in die tribulationis.

absque spiritu in se. et in diluvio praetereunte consummationem faciet loci eius. et inimicos eius persequentur tenebrae. Quid cogitatis contra Dominum? Consummationem ipse faciet. Non consurget duplex tribulatio. quia sicut spinae se invicem complectuntur. sic convivium eorum pariter potantium. Consumentur quasi stipula ariditate plena. Ex te exivit cogitans contra Dominum malitiam. mente pertractans praevaricationem. Haec dicit Dominus. Si perfecti fuerint et ita plures. sic quoque attondentur et pertransibit. Afflixi te et non affligam te ultra. Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo. et vincula tua disrumpam. Et praecipiet super te Dominus. non seminabitur ex nomine tuo amplius. De domo dei tui interficiam sculptile et conflatile. ponam sepulchrum tuum. quia inhonoratus es.

II Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. Celebra Iuda festivitates tuas. et redde vota tua. quia non adiciet ultra. ut pertranseat in te belial. universus interiit. Ascendit qui dispergat coram te. qui custodiat obsidionem. Contemplare viam. conforta lumbos. robora virtutem valde. quia sicut reddidit Dominus superbiam Iacob. sic reddet superbiam Israel. quia vastatores dissipaverunt eos. et propagines eorum corruperunt. Clipeus fortium eius ignitus. viri exercitus in coccineis. igneae habenae currus in die praeparationis eius. et agitatores consopiti sunt. In itineribus conturbati sunt. quadrigae collisae sunt in plateis. Aspectus eorum quasi lampades. quasi fulgura discurrentia. Recordabitur fortium suorum. ruent in itineribus suis. Velociter ascendent muros eius. et praeparabitur umbraculum. Portae fluviorum apertae sunt. et templum ad solum dirutum. Et miles captivus abductus est. et ancillae eius minabantur gementes ut columbae. murmurantes in cordibus suis. Et Ninive quasi piscina aquarum aquae eius. ipsi vero fugerunt. State state. et non est qui revertatur. Diripite argentum. diripite aurum. et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. Dissipata et scissa et dilacerata. et cor tabescens. et dissolutio geniculorum. et defectio in cunctis renibus. et facies omnium sicut nigredo ollae. Ubi est habitaculum leonum. et pascua catulorum leonum. ad quam ivit leo ut ingrederetur illuc catulus leonis. et non est qui exterreat. Leo cepit sufficienter catulis suis. et necavit leaenis suis. et implevit praeda speluncas suas. et cubile suum rapina. Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum. et succendam usque ad fumum quadrigas tuas. et leunculos tuos comedet gladius. et exterminabo de terra praedam tuam. et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.

III Vae civitas sanguinum. universa mendacii dilaceratione plena. non recedet a te rapina. Vox flagelli. et vox impetus rotae. et equi frementis. et quadrigae ferventis. et equitis ascendentis. et gladii micantis. et fulgurantis hastae. et multitudinis interfectae. et gravis ruinae. nec est finis cadaverum. Et corruent in corporibus suis propter multitudinem fornicationum meretricis speciosae et gratae. et habentis maleficia. quae vendidit gentes in fornicationibus suis. et familias in maleficiis suis. Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum. et revelabo pudenda tua in facie tua. et ostendam gentibus nuditatem tuam. et regnis ignominiam tuam. Et proiciam super te abominationes. et contumeliis te afficiam. et ponam te in exemplum. Et erit omnis qui viderit te. resiliet a te. et dicet. Vastata est Ninive. Quis commovebit super te caput? Unde quaeram consolatorem tibi? Numquid melior es Alexandria populorum quae habitat in fluminibus? Aquae in circuitu eius. cuius divitiae mare. aquae muri eius. Ethiopia fortitudo eius. et Egyptus. et non est finis. Africa et Libies fuerunt in auxilio tuo. Sed et ipsa in transmigrationem ducta est in captivitatem. Parvuli eius elisi sunt in capite omnium viarum. et super inclitos eius miserunt sortem. et omnes optimates eius confixi sunt in compedibus. Et tu ergo inebriaberis. et eris despecta. et tu quaeres auxilium ab inimico. Omnes munitiones tuae sicut ficus cum grossis suis. si concussae fuerint cadent in os comedentis. Ecce populus tuus mulieres in medio tui. inimicis tuis adapertione pandentur portae terrae tuae. devorabit ignis vectes tuos. Aquam propter obsidionem hauri tibi. extrue munitiones tuas. intra in lutum et calca. subigens tene laterem. Ibi comedet te ignis. peribis gladio. devorabit te ut bruchus. Congregare ut bruchus. multiplicare ut locusta. Plures fecisti negotiationes tuas quam stellae sint caeli. Bruchus expansus est et avolavit. Custodes tui quasi locustae. et parvuli tui quasi locustae locustarum quae considunt in sepibus in die frigoris. Sol ortus est et avolaverunt. et non est cognitus locus earum ubi fuerint. Dormitaverunt pastores tui rex Assur. sepelientur principes tui. latitavit populus tuus in montibus. et non est qui congreget. Non est obscura contritio tua. pessima est plaga tua. Omnes qui audierunt auditionem tuam compresserunt manum super te. quia super quem non transiit malitia tua semper.

Quattuor prophetae in xii prophetarum volumine sunt quibus tempus in principio. Tharga adest pondus titulum habent. Naum. Abacuc. et Malachias. Porro Zacharias in medio et cum his fuit duos huiusmodi ponit titulos. e quibus unus est onus verbi Domini in terra Adrach et Damasci requies eius. alter in fine. onus verbi Domini super Israel. Abacuc igitur Abacuc qui interpretatur amplexans vel amabilis Domino est vocatur amplexans. id est in certamine et luctamen. et ut ita dicam amplexantis cum Deo adsciscitur amplexantis. Iustus fortitudinis est nomen. Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem iustitiae provocare. et dicere ei cur in rebus humanis et in mundi isti. NOMINA. tanta rerum